



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De  
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1619**

XVII. Vtrùm aliqua alia conditio præsertim subditorum consensus ad  
iustitiam tributi requiratur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

res filios, & ideo plura emere, illud est accidentarium, quod in re morali considerari non potest. Præsertim, quia etiam diuites possunt filiis abundare, & ita quoad hoc est æqualitas, & aliunde pluribus, & pretiosioribus rebus uti solent ad eorum sustentationem, & præterea regulariter diuites habent maiorem familiam feruorum, & familiarum, quam alunt, præter expensas equorum, &c. & ita plura emunt ad suum usum, & consequenter plus solunt ex tali tributo.

7. Et hic discursus, licet in vectigalibus, seu portoriis sit euidentior propter illam considerationem, quod pauperes raro deferunt ex locis remotis res propter suum usum, absq; adminiculo negotiationis: nihilominus etiam procedit de tributo imposito propter solam emptionem, aut venditionem in rebus necessariis ad victum, & vestitum, quia etiam ex his reb<sup>9</sup> plures emunt diuites per se, ac moraliter materiam expendendo. Nam contingit quidem diuiti, licet plura consumat, pauciora emere, quia vel ex fructibus suarum possessionum multa colligit, & alia domi alit, vel sua industria comparat; licet hoc autem ita sit, hoc totum est accidentarium, & in re morali impossibile est infallibilem regulam constituit, quæ non sæpe deficiat. Quod si fortasse Caiet. & alij velint, eo ipso esse formam tributi iniustam, quod pro asportatione, aut emptione eiusdem rei ad usum necessariam, æquale tributum pauperi, & diuiti imponitur: immo id asserunt, alioqui etiam esset iniusta forma tributi impositi pro rebus causa negotiationis allatis, quia æquale tributum ponitur pauperi negotiantis pro vita sustentanda, & mercatori diuiti, in eadem materia, & ceteris paribus. Imò & decimarum distributio esset iniusta, quia eadem quota pro pauperibus, & diuitibus ponitur. In his ergo rebus non potest semper tam exacta distributio fieri. Præsertim, quia hæc improprio potest compensari aliunde, scilicet, quia diuites plura, & pretiosiora consumunt, & transfuehunt.

8. Quapropter dicendum est in primis, conditionem illam ex parte formæ tributi, scilicet, ut cum proportionem distribuat quæritas oneris, iuxta vires facultatis vniuersi, & moraliter accipiendam esse, quantum videlicet suauiter possit feruari, & haberi ratio illius proportionis sine vexatione populorum, & sine magna difficultate Principum. Vnde si hæc diligentia adhibeatur, nihil obstat, quod aliqua improprio sequatur, quia illa est moraliter inuitabilis, & non est intenta, nec censetur volita, sed permixta, sicut videmus in decimis Ecclesiasticis, quod vniuersim imperantur, etiam si per accidens contingat, aliquos pauperes nimium onerari. Deinde dicimus, conditionem aliam ex parte materiæ sumptam, sc. ut tributa hæc non imponantur in rebus, quæ ad usum proprium portantur, emuntur, aut venduntur, non esse simpliciter, ac per se necessitatem ad iustitiam tributi, quia nec inuoluit intrinsicè inæqualitatem in forma tributi, ut offensum est, nec per accidentales euetus fit iniusta, ut etiam est declaratum, nec etiam propter leges est iniqua, nisi ubi lex illa obligauerit in terris non subditis Imperatori. Soli ergo necesse est obseruare, ut sit iusta causa imponendi talia, quia nimirum alia non sufficiunt, & publica necessitas vrget, & alia ratio commodior illi succurrèdi non suppedit. In quo etiam tenebitur Princeps moralem diligentiam adhibere, ut modum magis æquum, & subditis magis proportionatum, ac suauiorè eligat, quæ diligentia præmissa secure potest eligere modum hunc, si probabiliter credit esse aptiorem. Accedit, quod nemo dubitet esse iusta vectigalia, quæ imponuntur pro oneribus, seu reb<sup>9</sup>, quæ gratia negationis asportantur, at hæc tandem redundat in onus emetium: nam mercatores ob eam causam carius illa vendunt, & ita in re non videtur esse magna differentia inter hæc tributa, quantum est ex parte oneris, quod in pauperes redundat, quia non redundat in illos vt Suarez de Legib.

pauperes sunt, sed vt ementes sunt; etiam si illas ad suos vsus à mercatoribus emant.

9. Quapropter non existimo, civilem legem prohibuisse illam vectigalium materiam, quia sit onerosa pauperibus, sed quia videtur asperum, & durum grauari homines in his rebus, quibus quotidie nutriuntur, & indigent, & similiter visum est graue, difficile, ac onerosam reddere asportationem rerum ad proprium usum pertinentium. Sed hæc difficultas non facit, rem esse per se malam, & superari potest ex aliis commoditatibus, vel necessitatibus occurrentibus, propter quas potest aliud statui ab habente potestatem supremam, quæ non subditur illi legi. Nihilominus tamen propter rationem, & fundamentum illius legis, & quia hæc tributa malè audiunt, & odiosa sunt communitati pauperum, rectè faciunt Principes, illa excusando quoad fieri possit. Multoq; congruentius esset, in rebus, quæ ad usum non necessarios, sed ad delicias, vel nimium ornatum, vel curiositatem deferruntur, similia onera, & grauiora imponere, dum tamen illa sufficiant ad indigentiam, iustam ve necessitatem regni, aut Principis subleuandam.

Optimum consilium.

10. Vnde infero, hæc vectigalia, & pedagia, si generalia sint, & propria tributa iuste exigi non solum ab incolis, sed etiam ab extraneis peregrinantibus in tali regno. Sicut vectigalia mercium soluuntur à mercatoribus, etiam extraneis. Tum quia hoc consuetudine feruatur in omnibus regnis, quia fortasse non poterat commodè fieri personarum distinctio, & quia alias occasio fraudibus daretur, & ita fit virtualis compensatio, veluti quodam iure gentium introducta. Tum etiã, quia extranei multa comoda recipiunt à Principe illius regni, in quo versantur, scilicet viarum securitatem, & expeditionem, & pacis conseruationem, & administrationem iustitiæ; tum deniq; quia dum ibidegunt, sunt aliquo modo subditi, quatenus tenentur illius regni legibus parere. Illa ergo exceptio, quæ aliqui ex allegatis Doctoribus addunt, necessaria non est. Dixi autem, si tributa sint propria, & generalia; nã si sint particulares impositiones ciuitatũ ad propria comoda particularia introductæ, magis ex quadã ciuitium cõuentione, & voluntate, ac pacto tacito, vel expresse, tunc non obligabuntur externi, & in hoc casu videntur loqui citati auctores. Non video tamen cur specialiter hoc doceant de vectigalibus positis in rebus ordinatis ad proprium usum, cum eadem sit ratio de omnib<sup>9</sup>, si feruetur proportio. Ratio autem est, quia illi non consenserunt in illi pacto, & conuentione, nec commoditas interta in eos redundat. Nam si redundaret, & ex consensu Principis impositio generaliter fieret, tunc iam induceret rationem tributi suo modo generalis.

CAPVT XVII.

*Utrum aliqua alia conditio, præsertim subditorum consensus, ad iustitiam tributi requiratur.*

1. Pars negans satis videtur ex dictis concludi; ex illis enim colligi possunt tres conditiones tributorũ, scilicet, legitima potestas, iusta causa, ac debita proportio, quæ plane videntur sufficientes ad iustitiam tributi, & ita illas tantum ponunt Castro, & Medina. Et probatur, nam alie, vel necessariæ non sunt, vel non nisi quatenus in his continerentur, vt dictum est de vsu, & materia. Idemq; est de personis, quibus imponitur tributum; debent enim esse subiectæ Principi secundum eam potestatem, qua tributũ imponit. Hæc enim conditio vera est, sed includitur in prima de Principe habente potestatem: nam superior & subditus correlatiua sunt, & ideo eo ipso, quod requiritur potestas Principis, manifestum est, non extendi, nisi ad subditos. Vbi statim offerebatur occasio explicandi; quomodo Ecclesiasticæ personæ exemptæ sint à

Castro. Medina.



Iustitia iustitiam naturalis, illa vero Hispanie institutio in hoc fundata videtur, quod eo tempore, in quo illa stabilita est, iam erant in Hispania inposita multa tributa, quae ad onera regni sustentanda videbantur sufficere, & ideo ne nouis oneribus grauaretur populus sine magna, & publica causa, & vt maiori, ac suauiori prouidentia id fieret, quando fieri oporteret, ideo rectissime id institutum est. Et post concessionem illam à Regibus factam, & moribus confirmatam, seruanda est. Non est autem ita intelligenda, vt sit in arbitrio Procuratorum, suum consensum non prestare, etiamsi iustitia tributi, eiusque necessitas nota sit, tunc enim consentire tenentur, sicut etiam tenentur fortiter resistere, quando iniustitia tributi est manifesta, vel quado ex multitudine tributorum tam grauitate oneratur populi, vt aequitate iusti stipendij, & auxilij Principi debiti, excedat.

CAPVT XVIII.

Vtrum leges tributorum obligent in conscientia ad illorum solutionem, etiamsi non petantur.

1. QVestio hæc locum habere potest etiamsi lex tributi poenalis non sit, vt diximus, quia licet tributum nõ sit poena, & ideo ad illius solutionem non fit necessaria sententia condemnatoria, imò nec declaratoria; nihilominus potest requiri exactio, ita vt sine illa nemo cogatur spontaneè offerre tributum. Sicue etiam poena pecuniaria legis post sententiam debita est sine alia noua sententia, & nihilominus Couar. & alij sentiunt, non deberi, nisi petatur: simili ergo modo potest accidere in tributis, & hoc est, quod inquirimus. In qua etiam questione aduerto, non posse habere controuersiam, si de possibili loquamur. Quid enim vetat tributum imponi cum hac moderatione, vt postularum soluantur, & non alias? non est ergo dubium, quin possit hoc modo ferri, & quod fiscalis lex non plus obliget, quia obligatio nõ est maior, q̄ legis verba postulent, per quæ animus imperatis cognoscitur. Et similiter dubitare nemo potest, quin Princeps possit imperare solutionem tributi, nulla expectata petitione, vel monitione. Quia etiam imponatur hoc modo, & cum hac expressa conditione, potest esse iustum tributum secundum omnes conditiones supra numeratas, vt parebit facillè discurrendo per eas; ergo iustè potest sic imponi; ergo sic etiã obligabit: nam quoad hoc totum lex illa est moralis, & procedunt omnia dicta in c. 11. Item tributum imponitur vt stipendium iustum, & debitum ex lege iustitia, sed præcipere solutionem debiti, non spectata petitione, non est onus iustum: imò nec nimis graue: ergo talis lex ex hoc capite nec iniusta, nec nimis grauis censeri potest: cur ergo non statim obligabit?

2. His ergo existentibus certis, solum de vsu, & de efficacia legum imponentium tributa, seu de sensu verborum, quibus vtuntur, esse potest controuersia. In qua varias inuenio opiniones. Prima negat, leges tributorum obligare in conscientia ad illa soluenda, nisi petantur, imò necq̄ ad declarandum contractum, aut vectationem mercium, aut aliam similem actionem fundamentem debitum tributi: quin potius nec obligare ad non occultandum simile debitum, seu fundamentum eius: ac subinde non esse contra iustitiam occultè, vel palliatè venditionem facere, ne gabella petatur, vel transire limina regni per loca inuia, aut in tempestiuis horis, propter non soluenda vectigalia. Ac denique solum obligare has leges ad soluenda hæc tributa, si exactor, seu publicanus occurrat, & petat, vel ad summum ad nõ decipiendum illum si interroget, præsertim cū iuramento. Hanc sententiam à fortiori tenent Angel. & Nauarr. allegati c. 11. & latius, ac expressius idem Nau. in c. fraternitas, 12. q. 2. à n. 21. verum est, ibi magis procedere argumentando, quã de-

finiendo, quia non perfecit opus, satis tamen indicat sententiam suam. Eandem tradit Iard Tab. verb. pedagia. n. 8. & 9. Medin. 1. 2. q. 90. ar. 4. Henr. to. 1. li. 7. de indulg. c. 36. §. 5. lit. D. vbi refert Soncinat. & Parlador. Inclinat etiam Soto 1. 7. de iustit. q. 6. ar. 7. in fin. Fundamentum præcipuum huius sententiae est consuetudo, quæ potest interpretari, & moderari legè, & eadem ratione potest moderari quotam stipendij taxatam per legem, sicut videmus in quota decimarum: nam licet pars decima sit, quam lex canonica statuit, nihilominus ipsamet lex canonica declarat, id intelligendum esse, nisi obstat consuetudo, quæ præualere potest: ergo multo magis potest in presenti.

3. Confirmatur, quia alias omnes, qui in casibus infirmitatis non soluunt tributa, obligandi essent ad restitutionem, quia peccarent contra iustitiam, consequens est grauissimum onus, & moraliter impossibile, imò etiam est contra consuetudinem, non tantum poenitentium, sed etiam confessorum eruditorum, vt Nauarr. refert. Confirmatur 2. quia hoc modo fiunt leges istæ tolerabiles, & humanæ, quæ alioqui essent nimis onerosæ, & difficiles ad obseruandum, & aliunde hoc etiam sufficit ad finem talium legum: nam Principes hoc modo recipiunt sufficientia stipendia, & subsidia, & si interdum defraudantur, postea per executionem poenarum fit compensatio: ergo.

4. Secunda opinio esse potest distinguens inter leges obligantes ad soluenda pedagia, seu vectigalia. Nam quædam procedunt ex antiqua consuetudine, cuius initium ignoratur, & hæc indistinctè obligant in conscientia ad solutionem talis tributi sine fraude, vel occultatione, licet non petatur, quia præsumuntur omni ex parte iustæ, iuxta c. super quibusdam, de verb. signific. & propter alias rationes, quas in sequenti sententia afferemus, & in his tributis maximè sunt efficaces, & in hac parte cõueniunt auctores statim allegandi in hac, & sequenti opinione. Alia verò sunt leges imponentes noua pedagia, siue scripta sint, siue ex consuetudine, de cuius initio constat. Et de his subdistinguitur: nam si certò constat, talia tributa esse iusta ex omni parte, & conditione, tunc etiam obligabunt illæ leges ad solutionem absq̄ præuia exactione, vel petitione, propter idem fundamentum: si verò non constat de iustitia earum, non obligabunt cum illo rigore. Quin potius si certò constiterit esse iniustas, non obligabunt vilo modo, per se loquendo, sed ad summum ratione scandali vitandi, quando aliter solutio tributi caueri nõ potest. Si aut nec de iustitia, nec de iniustitia constat, tunc etiam non obligant in conscientia ad solutionem, saltem si tributum non petatur, & absq̄ violentia, vel deceptione vitari non possit.

5. Hæc sententia licet nõ tam distinctè explicetur ab auctoribus statim citandis, meritò tamen potest illis tribui, quia simpliciter asserunt ad soluenda hæc noua pedagia neminem obligari, nisi cui constiterit de illorum iustitia, satisq̄ esse ad excusationem, vt de illa nõ constet, ac subinde, vt res sit dubia. Quod ego moderor, & interpretor, donec petantur, vel vbi eorum exactio sine vi, aut fraude vitari nõ potest. Tenet autem illam sententiam Gab. 4. d. 15. q. 5. concl. 7. & Syl. verb. vectigal. in hunc, inclinat etiam Driedo d. lib. 2. de liber. Christian. c. 5. versus finem; Armill. verb. gabella, n. 18. Aragon. 2. 2. q. 62. art. 2. Inclinat Cordub. in sum. q. 95. dub. 1. Medin. d. c. 13. Fundantur primò hi auctores, quia noua pedagia, & vectigalia in iure præsumuntur iniusta, & reprobata, c. quanquam, de censib. in 6. ergo si certò non constat de illorum iustitia, vnusquisque potest præsumere de illorū iniustitia, ac subinde tuta conscientia illa non soltere, saltem nisi petantur. Confirmatur, quia in dubio melior est conditio possidentis: sed subditi possident res suas; ergo in dubio non tenentur offerre tributum, cū autem non sunt certi de iniustitia tributi, eo ipso dubitant de iustitia tributi: ergo.

Tabien. Medina. Henric. Sotus.

Secunda sententia sub distinctione loquens.

5.

Gabr. Syluast. Caier. Driedo. Armill. Aragon. Meama.

c. quanquam.

